

rito refert Theophrastus, Plinius & Columella,) præ vetustate arentes debitos non exolvant fructus. Quidni igitur remissionem pretii exigere potero? Non. Rationes sunt in promptu: Cum enim † locatio conductio proxima fit venditione emtioni *l. 2. b.* iisdemque juris regulis consistat; respondent enim pretium pensioni seu mercedi, & rei dominium facultati utendi; Utique quemadmodum res domino perit, ita naturaliter sterilitas & alii casus qui usum impediunt, damno conductoris erunt. Neque eo minus locator jus habebit ad pecuniam promissam, quia ipse facultatem utendi tradidit. *H. Grot. de J. B. & P. lib. 2. cap. 12. §. 18.* Quod, tametsi jure Civ. non nihil † immutatum reperiamus, ita ut vis major & sterilitas locatori noceat, non tam late tamen illud accipiendum erit, ut quodvis damnum, etiam exiguum ipsi imputetur. Qui enim commodum sentit, sentiat etiam incommodum. Quod igitur † vineæ speratos non reddant proventus, nulla locantis culpa est, & propterea ei nocere non debet. Eum enim qui fundum conduxit attendere oportuit, an seniles sint vites, nec ne; cum neglexerit, sibi imputabit. Nam quemadmodum † in emendo & vendendo naturaliter concessum est, quid pluris sit, minoris emere; quid minoris sit, pluris vendere, & ita invicem circumscribere: ita in locationibus quoque & conductionibus juris est, ait Paulus *l. 22. §. ult. b.* Quod si † jam aliquot annis conductum habuit, neque in locum veterascentium vinearum alias substituit, rursus audiendus non erit, cum debeat colere & propagare ut bonus paterfam. & ideo commodum reportare non debet, unde puniendus *sec. Dd. & gl. arg. l. si ve hereditaria. 22. ff. de Neg. gest. & c. pervenit. de fidejuss.* Sed ut certi † aliquid hac in re statuere possimus, distinguen-